

1. Alberti / Valent: / diff. de
munificentia Divina in
N. T. Lipsie, 1668.
2. Arcularij / Dan: / ~~diff. fustentem~~
theses theologice de Quæstio-
nibus a liquot controversis,
Marburgi, 1695.
3. Hunnij / Azid: / proposi-
tiones theologice de eter-
na predestinatione Filio-
rum Dei ad salutem,
francofurti, 1594.



99A 6909

4. Arentsche / Henr. diff. de Summo
bono, Helmstadt 1600.
5. ——— diff. de Principijs
Virtutum moralium, Helmstadt
1600.
6. ——— diff. de Sensibus
exterioribus, Helmstadt
1600.
7. ——— diff. de Anima ratio-
nali, Helmstadt 1600.
8. Baumgarten / Sigism. Jac. /
diff. de Mysteriorum Christianae
fidei vera Judole, 1754.
9. Calamini / Petri / diff. de
Sacramentis, Wittebergae 1541
10. Carпов / Jac. / ^{Specimen tertium} de Applicatione
methodi Scientificae ad
Theologiam revelatam, iend
1753.
11. ——— Specimen quartum
de Applicatione Scientificae
Methodi ad Theologiam re-
velatam, iend, 1753

12. Cyprian / Em. Salam. / diff. de
 fabrica Crucis Christi, Helm.
 Stad. 1699.
13. Stad. 1699. De Ecclesia subterranea,
 Helm. 1699.
14. Frick / Joh. / Britannia rectis
 de Lutheranis edocta, Ulm
 1709.
15. friderici / Valent. / diff. de Malis
 recte perferendis, Lipsia,
 1671.
16. Feßlen / Joh. Jac. / diff. de Possi-
 bili Cameli transitu per
 foramen Acus, Wittenbergae
 1670.
17. Gualtper / Gott. / Commonefactio
 de articulo Electionis, Lubeca
 1596.
18. Glauk / Andr. / diff. de Ad-
 ventu Messie, Lipsia, 1688.
19. Henckes / Georg. / diff. de usu
 Librorum Apocryphorum V. T.
 in N. Testamento, Halæ, 1711.
20. Kahl / Gott. / de Christo exe-
 geta, Lipsia, 1733.
21. Keysewitz / Gott. / nimum justitiæ
 et improbitatis Salomonis,
 Lipsia, 1721.

22. Mayer / Joh. Frid / Diss. utrum
studiosus theologiae Studium deferere
et juris prudentiae aut medicinae se
consecrare possit. 1711.

23. ——— de admirabili Jacobi
cum duabus Sororibus Conjugio
Wittemberga, 1717.

24. Michaelis / Joh. Bened. / Diss.
de poenis capitalibus in S.
Scriptura commemoratis, Hald
1730.

25. ¹⁷³⁰ Michaelis / Joh. Henr. / Diss. de
Libro Coheleth, Hald, 1716.

26. Olearij / Gottfr. / Usus doctrinae
de Temperamentis Apostolorum,
Lippid, 1714.

27. Pauli / Herm. Reinhold / Specimen
typicum de Typo Timothei
a Timotheis ad vivum exprimendo,
Hald, 1730.

28. Rambach / Joh. Jac. / de
parallelismo Scripturae, jena
1722.

- 29 Rappoldt / Frid. / Diff. de Adoratione Carnis Christi, Lipsiae, 1668.
- 30 Rechenberg / Ad. / Diff. de Conscientia recta, Lipsiae 1670. Diff. de formula veteris Ecclesiae excitatoria Sursum Corda, Lipsiae, 1704.
- 31 Schertzer / Joh. / Ad. / de Conceptione maculata an immaculata B. Virginis Mariae Dei pare, Lipsiae 1671. Diff. de Communi- catione Idionatum, Lipsiae 1671.
- 32 a Seelen / Joh. Henr. / Diff. de Magdaly Jacobi La. Cornibus Bibliis, Lubecae 1728
- 33 Reinhardt / Aug. / Wilh. / Diff. de Scopulis quibusdam et Hymnis cum *ТАКПІБІА* colligen, Lipsiae, 1741.
- 34 Schiller / Joh. / Diff. de duobus Hominis novissimis morte et Resurrectione, Lipsiae, 1797.



2

THESES THEOLOGICÆ DE
Questionibus aliquot controversis.

Ad quas,

DIVINA ASPIRANTE GRATIA:

PRAESIDE DANIELE
ARCULARIO, THEOLOGIAE DO-
ctore & Professore in Academia Marpur-
genfi, publicè respondebit pridie
calendas Februarii,

M. JOHANNES VIETOR
Alsfeldianus.



MARPURGI CATTORUM,
Excudebat Paulus Egenolphus, Typographus Academicus.

15 10 95.

Ans He 69

THESE THEOLOGICAE

Disputationes de ...

1644

... ..

PRÆSIDIO DANIELIS

ARCHIDIAconi THEODOCI


... ..

... ..

... ..

JOHANNES VIctor

... ..



... ..

... ..





THESES THEOLOGICAE
de quæstionibus aliquot con-
troversis.

I. DE ELECTIONE.

I. Quæstio: *An dilectio Dei, quæ in hominum salute occupa-
tur, latius pateat Electione?*

THESIS I.



Uanquam Deus res omnes à se conditas diligit, ut
creator: tamen dilectio ejus, quæ in hominum salu-
te occupatur, & Electio ad salutem non æquè latè
patent.

2. Rectè igitur & secundum Scripturam inter di-
lectionem istam Dei & Electionem distinguitur, cùm ita doce-
tur, dilectionem esse universalem, Electionem verò particularē.
Johan. 3. vers. 16. 17. Rom. 5. vers. 8. 9. 10. & cap. 10. vers. 21. & cap. 11.
vers. 32. Act. 17. vers. 30. Matth. 11. vers. 28. & cap. 23. vers. 37. 2. Pet. 3.
vers. 9. 1. Tim. 2. vers. 4. & cap. 4. vers. 10. Ezech. 18. vers. 23. 32. & cap.
33. vers. 11. Eph. 1. v. 4. 2. Thess. 2. v. 13. Matth. 22. v. 14.

3. Idem confirmatur exemplo populi Israëlitici, quem Deus è
cunctis gentibus elegerat (Electionis verbo generatim accepto)
& segregaverat sibi in hæreditatem, dilectione utiq; & amore er-
ga populum illum adductus, cujus salutem seriò expetebat, Deut.
7. vers. 6. 7. 8. 1. Reg. 8. vers. 53. Rom. 10. vers. 21. in quo tamen multi
fuerunt reprobi, 1. Cor. 10. v. 1. 2. 3. 4. 5.

4. Præter hanc universalem dilectionem, qua Deus omnium
hominum saluti prospectum voluit, non negamus esse particula-
rem quandam dilectionem, qua Deus Electos & justificados ma-

A 2 jorem

jorem in modum in Christo filio suo completitur, Eph. 1. vers. 6.
1. Johan. 3. vers. 1. 2.

II. Quæstio: *An decretum Electionis factum sit cum conditione fidei, id est, propter prævisam fidem?*

1. **C**UM decretum Electionis absolutum non sit, sed modo quodam & conditione determinatum: quis sanus neget, conditionem fidei decreto illo contineri? Eph. 1. vers. 4. 5.
2. Thess. 2. vers. 13.
2. Nec tamen *propter prævisam fidem* nos dicimus electos, sed *propter Christum* fide apprehendendum: quemadmodum nec justificari dicimur *propter fidem*, sed *propter Christum* per fidem apprehensum, seu (quod idem declarat) *fide in Christum*.
3. Nec decretum Electionis à fide tanquam causa quadam *æternam* extra voluntatem Dei eligentis in hominis arbitrio posita suspendimus: sed quoniam Deo placuit *non nisi in Christo* nos eligere, Christus autem & fides in hoc argumento ad se mutuò referuntur: ut Christus, ita fides Electionis decreto includitur.
4. Quæ quidem fides diuerso respectu & causa Electionis dicitur, & effectum: causa, quatenus per eam inserimur Christo, in quo eligimur: effectum verò, respectu Dei tum eligentis, & electionis decretum conditione fidei determinantis, tum decretum hoc suum postea exequentis.
5. Neq; enim aliter Eligendo decreuit Deus, quàm Electionis decretum postea exequitur. Exequitur autem tum vocando, tum justificando, tum glorificando Electos, Rom. 8. vers. 30. idq; non sine Christo in verbo & Sacramentis oblato, & per fidem à nobis recepto. Horum igitur omnium, Christi, inquam, ministerii verbi, & fidei, jam tum in eligendis hominibus Deus habuit rationem.
6. Et quæ potuisset Deus, salua iustitia sua, homines peccato pollutos absolue eligere, absq; satisfactionis per Filium præstandæ respectu?

respectu? Nihilò magis sanè, quàm absq; satisfactione illa nos
justificare potest.

7. Porro cùm eos à Deo electos dicimus, quos ille *præscivit in
Christum credituros*, nostri respectu ita loquimur cum Scriptura,
quæ cum Electione *περίγνωσις* Dei conjungit, Rom. 8. vers. 29. & 1.
Petr. 1. vers. 2. Alioqui Dei respectu omnia etiam futura tanquam
præsentia intuētis magis propriè dicimus electos esse, quos Deus
in Christum credentes novit, & quos velut jam nunc per fidem illi
infertos, in eodem filio suo contemplatur.

III. Quæstio: *An Electio sit mutabilis?*

1. **E**T si Electi ipsi sunt mutabiles, quippe variis in hac vita la-
psibus obnoxii, quemadmodum exempla Davidis & Pe-
tri testantur, 2. Sam. 11. Matth. 26. vers. 70. 71. Electio tamen, quæ
non solùm initium, sed progressum quoq; & complementum
salutis nostræ complectitur, & *περίγνωσις* Dei habet conjunctam,
cujus respectu Deus Electorum vel in fide & pietatis officio per-
seuerantiam, vel, si lapsi fuerint, resipiscentiam præuidit, apud
Deum semper rata manet.

2. Ac quamuis perseuerantia & resipiscentia sint dona Dei, 1.
Cor. 1. vers. 8. Phil. 1. vers. 6. 1. Pet. 5. vers. 10. Act. 11. vers. 18. 2. Tim.
1. vers. 12. cùm tamen Deo visum sit illa *ἐμμέσως* per organa à se de-
stinata, ministerium verbi, inquam, & Sacramenta nobis confer-
re: quos Deus jam inde ab æterno præsciuit illa salutis organa am-
plexuros, iis & fidem, & resipiscentiam, & in pietatis officio con-
stantiam donare decreuit. Secus de iis, quos organa illa asperna-
tuos nouerat, vel repudiatuos. Act. 13. vers. 45. 48. Ubi nulla salu-
tis particula nostris tribuitur viribus.

3. Cumq; organa illa salutis à Deo sint ordinata, qui & illa no-
bis offerendo nos studiumq; nostrum externum antevertit, nec
ulla sit organorum per se efficacia: vel hinc apparet, salutem
nostram in solidum Deo acceptam ferri. Matth. 28. vers. 19. & cap.
22. vers. 3. 4. Rom. 10. vers. 20. 1. Cor. 3. vers. 7.

A 3

4. Quod

4. Quod de decretis Dei nullam patientibus resistantiam obicitur: distinguendum est inter decreta Dei: quorum alia sunt absoluta, quæ à sola Dei voluntate pendent: quæ quidem impediri nequeunt, Jesa. 14. vers. 27. & cap. 46. vers. 10. alia conditione quadam determinata, quâ mutatâ vel non præstitâ, ipsa quoq; decreta non constant, Jer. 18. v. 7. s. Ezech. 18. v. 5. 6. 7. & c.

5. Similiter inter Omniscientiam Dei & decreta distinguimus. Illa latiùs patet, & tam ad malas, quàm bonas hominum actiones pertinet, nec semper causam rerum cognitarum, sed notitiam designat. Decretum verò præter notitiam, voluntatis quoq; motum complectitur, ac de rebus solùm bonis accipitur.

II. DE MORTE CHRISTI.

I. Quæstio: *An Christus pro omnibus, id est, singulis hominibus sit mortuus?*

1. **M**ors Christi non solùm sufficere potuit ad singulorum hominum peccata expianda, sed etiam reuera est *ἰσοῦρον πον λύτεον*, id est, æquale pretium expiandis totius mundi, atq; ad eò singulorum hominum peccatis Dei decreto destinatum. Johan. 1. v. 29. & cap. 3. v. 16. 17. 1. Joh. 2. v. 2. 1. Tim. 2. v. 6. Rom. 14. v. 15. 1. Cor. 8. v. 10. 2. Pet. 2. v. 1. Heb. 10. v. 29.

2. Itaq; blasphemia non caret error eorum, qui mortem Christi ad solos Electos & credentes restringunt, quippe quam Deus reprobatorum peccatis expiandis seruire noluerit, idque decreto quodam absoluto & arcano omnes alias causas antegrediente. Quod dogma uniuersalium promissionum neruos incidit, & pavidas mentes omni consolatione spoliât.

3. Sanè si de applicatione & salutari mortis Christi fructu quaeratur, fatemur, solos Electos & fideles illius fieri participes: de quo mortis Christi fructu & efficaci per fidem applicatione oratio Christi loquitur, Johan. 17. Secus de voluntate Dei mortem Christi omnium hominum saluti destinantis.

II. Quæ-

II. Quæstio: *An rectè dicatur, Christum esse mortuum pro reprobis sufficienter, sed non efficaciter?*

I. **C**um Christo propositum fuerit pro omnibus omnino hominibus sine exceptione mori, ac proinde pro reprobis quoq; mortuus sit, Rom. 14. vers. 15. 2. Pet. 2. vers. 1. Heb. 10. vers. 29. non malè docent, qui ita distinguunt, Christum mortuum quidem pro reprobis sufficienter, sed non efficaciter: dum modò causa & culpa, quò minùs in reprobis efficax sit mors Christi, in ipsis, non in Deo statuatur, Johan. 3. vers. 19. Roman. 9. vers. 31. & cap. 10. vers. 3.

2. Nec necessariò connexæ sunt sufficiens Christi satisfactio, & ejusdem efficacia, ut quibus una tribuitur, iis alteram quoq; tribui, aut quibus una negatur, his alteram quoq; negari necesse sit: cum in salutis negotio Deus non absoluta sua potentia (ordinariè) nobiscum agat, sed ex verbi sui præscripto, quo vim & efficaciam Spiritus sancti iis pollicetur, qui ordinem diuinitus sancitum sequuntur, nec perueicacium Judæorum more Spiritui sancto per verbum operanti resistunt, Act. 7. v. 52. & cap. 13. v. 45. 50. Rom. 10. v. 21. Marc. 6. v. 5. Luc. 8. v. 45. 46.

III. DE FIDE.

I. Quæstio: *An Deus omnibus, id est, singulis hominibus dare velit fidem?*

I. **D**eus ut omnium, id est, singulorum hominum salutem seriò vult & expetit: ita omnibus, id est, singulis seriò vult dare fidem, voluntate non absoluta, sed hac conditione determinata, si quidem ordinem ab ipso sancitum sequantur, id est, fidei organis legitimè utantur, Rom. 10. v. 17. Joh. 17. v. 20. I. Cor. 3. v. 5. Act. 16. v. 14.

2. Itaq; nugatorium est dicere, Deus non vult omnibus, id est, singulis hominibus dare fidem, quia Christus non pro singulis mortem

mortem est passus, nec singulis impetrauit Spiritum sanctum. Quorum utrumq; falsò dicitur.

3. Christus enim ut pro singulis mortuus fuit, ita morte sua singulis Spiritum sanctum promeruit, cujus gratia per ministerium verbi & Sacramentorum non minùs reprobis, quàm Electis offertur, Johan. 14. vers. 26. & cap. 16. vers. 8. 9. 10. 11. Actor. 7. vers. 52. Heb. 6. vers. 4. & cap. 10. vers. 29.

4. Quod objicitur, si Deus vult singulis dare fidem, cur non singulis mittit Euangelium? Cur non singulis quibus Euangelium annunciatur, elargitur Spiritum sanctum? Cur non singuli accipiunt fidem? Respondemus cum Apostolo: An non audierunt? Atqui in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terrarum verba illorum, Rom. 10. vers. 18. Psal. 19. v. 5. Cùm igitur Euangelium in toto Orbe per Apostolos sit diuulgatum, nemo ignorantiaë causam prætexere potest.

5. Nam quòd diuersæ gentes hoc doctrinaë coelestis depositum postea sua partim incuria, partim malitia amiserunt, nec ad posteros propagarunt: sibi imputent, non Deo, qui doctrinaë lucem semel in Orbe per Apostolos accensam, & hominum malitia extinctam, ubiq; terrarum & gentium sæpius excitare nulla lege tenetur. Sicubi tamen id facit Dominus, singularis gratiaë beneficium præstat.

6. Nec posteri doctrinaë coelestis ignari culpa vacant, cùm partim ex mundi contemplatione, partim ex religionis Christianaë per Orbem peruagata fama aliquam Dei notitiam percipere, & de vero eiusdem cultu inquirendi occasionem arripere potuerint, Act. 17. vers. 27. Rom. 1. vers. 19. 20. Quod cùm omiserint facere, in aliis vitæ hujus commodis externis acquirendis plus satis accurati: ἀναπολόγητοι censentur.

7. Porrò quamobrem non singuli, quibus Euangelium annunciatur, Spiritus sanctus & fides donetur, causas nobis edisserit Christus in parabola seminis, Matth. 13. vers. 19. 20. 21. Luc. 8. v. 18. Alias indagare causas verbo Dei non expressas, impiaë curiositatis esse ducimus.

8. Nec

8. Nec quamuis hominum incredulitatem & malitiam ex corruptæ naturæ vitio omnium communem causam dicimus, cur non singulis fides donetur: sed voluntariam illam, crassam, & affectatam cum obstinatione conjunctam, qualis erat Judæorum, Matth. 23. vers. 37. Actor. 7. vers. 52. Roman. 10. vers. 21. Hebr. 4. vers. 7. 11. Constat enim gradus esse malitiæ & incredulitatis vel in non renatis. Præter hanc obstinatam incredulitatem sunt & aliæ causæ in parabola explicatæ, quæ obstant, quò minùs verbi diuini semen in animis auditorum fructum edat: ut necesse non sit negatæ fidei causam in absoluto quodam & arcano voluntatis diuinæ decreto quærere.

II. Quæstio: *An fides saluifica reprobo aliquando detur?*

ET si fides saluifica rectè dicitur fides Electorum, Tit. 1. vers. 1. quatenus hi soli in hac fide perseuerantes salutem adipiscuntur: nusquam tamen Scriptura illam solis Electis ita vendicat, quin eam aliquando etiam reprobis dari affirmet, Luc. 8. vers. 13. Hebræor. 6. vers. 4. & capit. 10. vers. 29. Ezechiel. 18. vers. 24. 26. Porrò saluificam hoc loco fidem intelligimus eandem, quam iustificantem.

III. Quæstio: *An fidem saluificam semel incoactam Electi prorsus amittere possint?*

1. **C**UM Scriptura disertè testetur, Electos, renatos, & iustificatos, quotiescunq; enormiter labuntur, gratiam Dei, Spiritum sanctum, & fidem amittere, Roman. 11. vers. 20. 21. 22. 23. 1. Cor. 6. v. 9. 10. Gal. 5. v. 19. 20. 21. Eph. 5. v. 5. Heb. 3. v. 6. 14. & cap. 6. v. 4. 5. 6. & cap. 10. v. 29. 2. Pet. 2. v. 20. 21. insaniunt, qui Dauidem, quo tempore adulterium commisit, & cæde cumulauit, Spiritum sanctum & fidem retinuisse contendunt.

B

2. Si

2. Si enim vel exiguam fidei scintillam id temporis retinuit David, Christum unà cum merito ipsius retinuit, ac proinde justificatus tunc regni cœlestis hæres permansit, contrà quàm Apostolus pronunciat, 1. Cor. 6. v. 9. 10.

3. Nec ea est promissionum diuinarum vis & sententia, ut qualescunq; tandem sint Electorum mores, de Dei erga se favore securi esse jubeantur, Philip. 2. vers. 12. 2. Pet. 1. vers. 10. quin potius cum proprium fidei effectum sit vitæ sanctimonia, deficiente hac, illam quoq; deficere & extinguere necesse est, Ephes. 1. vers. 4. 2. Thess. 2. vers. 13.

4. Qui contrà sentiunt, in castra transeunt partim Pontificiorum, partim Anabaptistarum, quotum illi disertè fidem justificantem scortatoribus quoq; & adulteris tribuunt: in his verò eundem errorem damnat Confessio Augustana: ut vel hinc appareat, quàm verè Confessionis illius nomine gloriantur, qui errorem tuentur cum fanaticis Anabaptistis communem.

Concil. Trid.
Sess. 6. cap. 15.
Confess. Aug.
Artic. 52.

III. DE JUSTIFICATIONE.

I. Quæstio: *An sicut ex Adamo in omnes homines peccatum & damnatio, ita justificatio à Christo ex æquo in omnes perveniat?*

Quemadmodum peccatum & condemnatio ex primo Adamo in omnes naturales ejus hæredes deriuata fuerunt, quorum etiam per Legem conuincuntur: ita justitiam & justificationem Christi obedientia meritoq; partam, & omnium hominum salutis diuinitus destinata, tum quoq; per verbi ministerium omnibus oblatam adipiscuntur omnes, qui ipsi per Electionem & veram fidem insiti sunt, ut docet Euangelium, & obsignat Spiritus adoptionis, Rom. 5. vers. 14. 15. &c. & cap. 11. vers. 32. Gal. 3. vers. 22.

II. Quæ.

II. Quæstio: *An justificemur sola obedientia Christi passiva:
an verò etiam ejusdem divina, nativa, & acti-
va sanctitate?*

1. **E**T si sanctitas naturæ diuinæ Christi, & sanctitas naturæ ejusdem humanæ cum nativa tum actiua necessaria fuit ad hoc, ut Christus esset præstantissimus & sanctissimus Sacerdos, nec non ut victima ejusdem esset *λύτρον* pretiosissimum & acceptissimum apud Deum patrem: non sola tamen passiva, sed utraque, & actiua & passiva Christi obedientia à Deo patre ad justitiam nobis imputatur, nobisque causa proxima vitæ æternæ est.
2. Cùm enim Lex Dei nos duplici nomine sibi teneret obstrictos, & ad poenas peccatorum nostrorum luendas, & ad dilectionem tum Dei tum proximi (quæ nos deficiebat) perfectè præstandam: Christus, qui nostrâ causâ se Legi subjecerat, utroque modo Legi satisfecit, & poenas peccatis nostris debitas persolvendo, & dilectionis illius perfectissimæ in nobis defectum obedientia sua actiua pensando, Matth. 3. vers. 15. & cap. 5. vers. 17. Rom. 10. vers. 4. Gal. 4. vers. 4. 5.
3. Itaq; neq; in essentiali illa diuinitatis Christi sanctitate, neq; in nativa & habituali carnis ejusdem puritate per se consideratis, sed in justitia vel obedientia Christi (quæ totius personæ est, & sanctitatis illius puritatisque fructus seu effectum) tam actiua, quàm passiva, justitiam & vitam æternam quærimus & inuenimus.

III. Quæstio: *An justificatio precedat fidem?*

1. **E**T si ut Electionis, ita justificationis decretum ab æterno factum ejusdem executionem, quæ fit in tempore, antecedit: cùm tamen Deo placuerit non nisi in Christo, cui per fidem inserimur, nos tum eligere, tum justificare, ut supra est demonstratum: fides à justificatione & remissione peccatorum

diuelli nequit, ne Dei quidem decernentis respectu.

2. Itaque non antè nobis peccata remittit, vel nos adoptat Deus, quàm Christi satisfactionem per fidem Spiritus sancti per verbum operantis virtute in nobis accensam apprehendimus. Roman. 3. vers. 22. 25. & cap. 4. vers. 3. 5. Galat. 3. vers. 14. 22. 24. 26. Ephes. 1. vers. 13. & cap. 3. vers. 17. & cap. 2. vers. 8. Johan. 1. vers. 12. 13.

3. Cùm enim fides sit causa instrumentalis justificationis, qua Christi meritum alioquin otiosum & alienum nobis applicamus: justificatio & remissio peccatorum fide vacua in homine locum habere nequit: nisi causam effecto suo posteriorem asserere libeat.

4. Nec sensus justificationis cum fide semper est conjunctus: cùm constet illum saepenumero in sanctis tanta infirmitate inuolui & obrui, ut à desperatione propè abesse videantur, salua nihilominus justificatione ipsorum, salua item nec prorsus extincta fide, quæ quantumuis infirma, Christi satisfactionem non minùs apprehendit, quàm firma fides.

V. DE BAPTISMO.

I. Quæstio: *An omnes qui baptizantur, in articulo Baptismi regenerentur?*

Distinguendum inter adultos & infantes Baptismum suscipientes: quorum illi cùm hypocrisi sua & perfidia Spiritus sancti operationem impedire possint, si qui tales sunt, in Baptismo non regenerantur. Infantes verò, in quos hypocrisis illa & voluntaria malitia non cadit, in Ecclesiæ sinu natos omnes in ipso Baptismi articulo regenerari cum Scriptura affirmamus, Joh. 3. v. 5. Rom. 6. v. 3. 4. Gal. 3. v. 27. Eph. 5. v. 26. Tit. 3. v. 5. 1. Pet. 3. v. 21. 1. Cor. 13. v. 13. Quorum multi tamen postquam adoleuerunt, sua culpa regenerationis gratia excidunt.

II. Quæ-

II. Quæstio: *An Electi infantes in articulo Baptismi
regenerentur?*

Quæstionis hujus solutio pendet ex superiore. Si enim omnes infantes intra Ecclesiam nati in Baptismi articulo regenerantur: constat Electos quoque in hac sacra actione regenerari: nisi Baptismum ociosam ceremoniam, & promissionem Dei vanam esse putemus.

III. Quæstio: *An infantes Christianorum sint
baptizandi?*

DE eo verò quis dubitet, nisi Anabaptista? Quanquam qui in Baptismo infantes renasci negant, & regenerationem illorum in adultam usq; ætatem suspendi, & infantes fidelibus natos parentibus vel ante susceptum Baptismum in Dei gratia esse, & jam tum sanctos à Deo adoptari, idq; sine fide, docent: quid *εὐσπείας* & operationis Spiritui sancto in Baptismo reliquum faciant, & quàm longè absint ab Anabaptistarum dogmate, quiuis sanè judicii homo intelligit: præsertim cùm quidam ex iis, qui ita sentiunt, disertè scribant, Sacramenta absq; fide ociosas esse ceremonias.

IIII. Quæstio: *An infantes Christianorum parentum
ante usum rationis morientes, omnes
salventur?*

1. DE infantium Christianis parentibus natorum, qui baptizati in infantia moriuntur, salute non solum benè speramus, sed etiam certò persuasi cum Christo disertè affirmamus, talium esse regnum Dei, nec esse voluntatem coram patre cœlesti, ut pereat *unus* de pusillis istis, Marci 10. vers. 14. Matth. 18. vers. 14. De quibus aliud arcanum Dei judicium cum Scriptura ignoramus.

2. Nec verò eos damnamus infantes, quibus ante mortem Baptismi copia fieri nequit, sed de horum quoq; salute benè speramus: cùm Deus gratiam suam non ita adstrinxerit Sacramentis, quin vel absq; his extra ordinem in casu necessitatis illam conferre possit.

3. Porro cùm absq; fide nulla fieri possit regeneratio, fidem infantibus regeneratis minimè derogamus, Johan. I. vers. 12. 13. Mat. 18. vers. 6. Luc. 18. vers. 16. 17. Gal. 3. vers. 26. 27. Eph. 3. vers. 17. Hebr. II. vers. 6. Jer. 31. vers. 34.

VI. DE ECCLESIA.

An ad Ecclesiam pertineant Turca, Judæi & increduli?

1. **E**cclesia in sacris literis bifariam describitur: vel qualis coram Deo est, ipsi soli nota, solis Electis Spiritu Dei per Verbum & Sacramenta regeneratis constans: vel qualis coram hominibus, & cerni à nobis atq; dignosci potest: estq; cœtus hominum verbum Dei profitentium & legitimè utentium Sacramentis, pios simul & hypocritas complectens.
2. Neutro respectu tam latè patet Ecclesia, ut singulos in orbe homines, Turcas, Judæos, & profanas gentes comprehendat.

SOLI DEO GLORIA.



99 A 6909

ULB Halle
003 931 315

3




Sb

VD 17

Reho

Hilb.







2

THESES THEOLOGICÆ DE
Questionibus aliquot controversis.

Ad quas,

DIVINA ASPIRANTE GRATIA:

PRAESIDE DANIELE
ARCULARIO, THEOLOGIAE DO-
ctore & Professore in Academia Marpur-
genfi, publicè respondebit pridie
calendas Februarii,

M. JOHANNES VIETOR
Alsfeldianus.



MARPURGI CATTORUM,
Excudebat Paulus Egenolphus, Typographus Academicus.

10 c10 xcV.

Ans Hi 69

